



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Et fortis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

lentius, ac per otium pergere, religione illum, & scrupulis macerari, ne non satis ad obediendum diligens esset, nisi studium supra vires contendere, admonitus est à Borgia, vt interpellaret scribendi laborem interferendis concionibus. Igitur Oenipontum à Prouinciali mittitur, vt apud Archiducem Ferdinandum Ecclesiastem ordinari-um agat. Multæ famulo Christi offerebant se se *Et fortis.* difficultates in eo munere. Haud enim dubiè geminabatur potius labor, quam leuabatur. Quippe dicendum erat non ad vulgus ac multitudinē, sed ad selectam, &, vt ingenium Aulicorum est, fastidiosam concionem: nec dicendum pro voluntate cum animus, atque otium ferret, sed necessitati seruiendum fixa, stataque die. Ad hæc, vt in oppido sede Principis, aulæque sat celebri multum necesse erat in dies subnasci occupationum in omni genere, molestarumque interpellationum, quas vitare non esset. Deinde nec librorū, nec hominum Doctorum, qui consuli in loco possent, quæ præsto erat Dilingæ, suppetebat copia Oeniponti. Denique valetudinem sibi in iis montibus minus propitiā expertus erat. Hæc, atque alia succurrebant, quare videretur de obedi-



entia summo iure remittendum, & significandum Borgia, dum leuatum sibi laborem, & conseruatam valetudinem cupit, videret, ne tali via, cum res ita se se haberent, id quod agebat, parum assequeretur. Sed vir solidæ, profundæque obedientia negligenda sibi illa duxit omnia, & eundem, conandum, Deo fidendum. Quippe qui non frustra, & ad probrum suum didicerat virorum sapientum, sanctorumque sententiam: etiam si quid, quod superare vires videatur, imperatum fit, conandum esse: quod statuere an fieri possit ad subiectum non spectet. Abiit ergo, & posteaquam cuncta vsu non paruo compererat, simpliciter vt conscientiam suam leuaret, cum iam in Hispaniam Borgia iussu Pontificis abiisset, ea Natali Vicario explicauit; sed ita vt nulla habita ratione sui libenter se profiteretur inseruiturum Archiduci quamdiu suppeterent vires per Dei gratiam: in iisq; montibus obedientia duce, mori paratum esse: tantum se indicare difficultates, quæ ad molestissimam cum aduersariis pugnam se accingenti, quæ sola totum hominem postulare videtur, offeruntur: vt Natalis pro sapientia sua de omnibus sententiam ferat; vtq; purgatum ipsum habeat apud Romanos,



manos, si fortasse Pars secunda de Maria Deipara  
tardè in lucem prodeat. Tantū tribuit obedien-  
tię Viri Natalis, vt, cum ea statio eiusmodi personā  
requireret, nihil mutandū censeret: id modò sa-  
tis habuit monere, & adhortari, vt sancta medio-  
critate temperaret labores. Nec verbum Canisius  
posthęc adiecit, nisi longo post tempore nescio  
quid Euerardo Generali quā leuissimè indicauit.

Plurimum Archiduci, Aulæq; probabantur  
sacri Oratoris actiones, & addidit ingens momē-  
tum ad rem animarū bene gerēdam inter confi-  
nia occidentis, & oriētis anni calamitas publica.  
Concussit .n. vehementer hoīm pēctora ingens  
post hoīm eo loci memoriam, & frequens terræ  
motus, q̄ circa late per multa passuum millia diu  
tenuit, haud sine tectorū strage. Eam ob rem, sup-  
plicationes publicæ institutæ, ieiunia indicta, ad  
Sacerdotū pedes accursum, collaudante, ac prædi-  
cante Deum Canisio, qui sic terreret peccantes, &  
ad pœnitentiam cōpelleret; oēsq; tanto molimi-  
ne admoneret, vt in timore ei ac tremore seruirēt.  
Hæsit OEniponti in scribēdi, dicendiq; laboribus  
annos totos septem nusquam pede moto nisi ad  
Prouincialis Societatis conuentus, & semel, atq;  
iterum

1572.

*Terramotus  
ingentes Oeni-  
ponti.*